

quitur tanquam diversus à Scriptore *Monitorum*. Præfatio autem ferè tota continet Vindicias Episcopi Alectensis, ut parallelum instituat inter ipsum, & Archiepiscopum Sebاستenum. Ibi dicuntur *Censores Romani* plurimum obcaci, si librum illius *Antijitatis* prohibendo existimaverint se honoris consuluisse Sedis Apostolice. Quomodo enim persuadere sibi potuerunt magnam habendam rationem prohibitionis, quam pravus animi dictaverat affectus, adjudicans librum incendio, ad sumendum de sancto illius Authore Episcopo ultionem? Quos hic Scriptor plurimum obcæcatos vocat *Censores*, est ipse Clemens IX. Pontifex. Non enim S. Inquisitionis Decreto; sed Pontificio Diplomate liber Alectensis proscriptus est, & ad rogum damnatus ob rationes gravissimas illic expressas.

Pag. 14. Successum habere poterat Romanorum subdola agendi ratio, si omnes, quibus vel minimum luminis est, fascinare potuissent, ne viderent illos ad incitas redactos, & eorum agendi modum esse, quantumcumque invitam, convictione injustitiae confessionem. Ibid. Episcopi Alectensis memoria semper in benedictione erit, ne quidquam obstantibus censuris, quas sibi Sancti gloria ducunt cum S. Paulo, scut Crucem, & Stigmata Salvatoris.

Hactenus Præfatio: tempus est ut & ipsa Monita audiamus, pag. 67. Tam justa erat Archiepiscopi Sebاستeni causa, ut ubique nacta foret judices non suspectos, triumphatura fuisse ejus innocentia.

Pag. 68. Affigit Romana Curia Archiepiscopum, cuius morum suavitas devinciret sibi animos Schytarum, & Arabum; quanvis tam reus esset, quam constet esse innocentem. Ita Quesnellus CLEMENTEM XI. depingit velut Schytis, Arabibus, (& quibus non barbaris?) crudeliorem.

Pag. 71. Sebاستenus, & ejus Provicarii, ab officio amoti, possunt ac debent ad Reipublica Hollandia Praefectos recurrere, ut eorum stabilitur potestate. Unde patet hunc Quesnelli librum posteriorem esse manuscriptam resolutione superius allegatam; Non enim Heussleinus Exprovicarius Quesnellum consuluisset, num ad Protestantes Præpositos pro convellenda Romani Pontificis dispositione configere licet, si ante ab eodem suo Oraculo definitum vidisset, non solum licitum esse, sed etiam præceptum. Subintellige lector præceptum novæ Ecclesiæ, & anti-Romanæ. Quis enim in Romana à prima sua institutione in hac usque tempora unquam quid simile legit traditum, vel usu à Fidelibus receptum? Quid si primi Christiani, apud quos vigebat magis sincera pietas, & submissio, audivissent à no-

vo, & peregrino quopiam fidei præcone doceri veluti licitum, & præceptum, contra Apostolorum Principem, & Ecclesiastica ejus Statuta infidelium Magistratum concitare, atque hujus autoritate mandata Petri subrure? Quanto horrore perculisset doctrina tam pestilens teneros animos, & quam diro Petrus eam cum Authore mox anathemate percussisset?

Pergit Quesnellus pagina 74. „ Sic cui „ Pontifici lubuerit deprimerre aliquem Episcopum ad favendum Religiosis, prout con- „ tigit S. Pontii, & aliis Episcopis, quando „ casus tulerit, ut non nisi duo ad Congre- „ gationem convenerint Cardinales, ambo „ forsitan Religiosi, estne verisimile fore ut „ hi audeant resistere Pontifici, cujus perspe- „ cta eis fuerit propensio „ ? Jam non amplius lapsus Pontificis tribuitur vitio ministrorum; sed horum injustitia Pontificia voluntati.

Pag. 92. „ Utinam illi ad quos pertinet „ stylus, seu compositio Papalium Decretorum, magis memores essent demissionis, & „ mansuetudinis, quæ fuit in Sancto Petro! „ Hic verò omnia sapiunt dominatum, nihil „ paterni est „ . O si Quesnello Decretorum Papalium cura incumberet, quam omnia illuc spirarent Jansenianam charitatem, modestiam, & bonam fidem!

Pag. 98. „ Declaratio, & Responsiones „ Sebاستeni plenæ sunt sapientiâ, moderatione, doctrinâ integerrimâ, & nulli obnoxia reprehensioni. Decretum Romanum tam est Ænigmaticum, quam Idolorum Oracula „ .

Pag. 123. „ Ergone in conspectu Principium Apostolorum agi debuit contra Archiepiscopum, quod Paganos Imperatores contra Christianos Idolorum suorum hostes facere puduisse „ ?

Pag. 132. „ Talis Vicarius Apostolicus non magis obstringi poterat, ad cedendum Vicarii munere, quam Pontifex, ac ceteri Christi vicem gerentes adigi valeant ad dimittendas Sedes „ .

Pag. 137. „ Est illud judicium sine forma, dejectio de gradu sine justitia, zelus sine charitate. Ergone dum justitiae janua aperitur in Belgio, occlusam manere oportuit Romæ „ ?

Pag. 141. „ Vellent quidem Romani, ut illud judicium suum nobis veneracioni esset, ut de eo nulla audiretur querela; sed ei subscriberent universi. Faciat istud, qui voluerit complicem se reddere injustitiae adeo manifesta; verum omnes, quibus aliquid luminis, & religionis est, ingemiscant